

Epistolam posteriorem ad Timotheum, multo post hanc quam dicimus, quinque dico vel sex annos, exaratam fuisse; paululo scilicet ante Pauli martyrium, cum, ut loquitur, *tempus resolutionis ejus instaret*. Cap. 4. v. 6. ac proinde nihil valere Tychici adventum ad Ephesios, ab Apostolo in secunda ad Timotheum Epistola memoratum, ad auctoritatem tituli hujus Epistolae vulgati nostri confirmandam. Maxime cum occurrant hic aliqua quae ad Ephesios nullo pacto accommodari posse videntur. Cap. 1. v. 1 5. *Propterea & ego audiens fidem vestram, quae est in Domino Jesu, & dilectionem in omnes sanctos*. Quid haec ad Ephesios, apud quos per univ. triennium commoratus fuerat? quibus omne Dei consilium, omnia Fidei capita, omnia ad salutem necessaria, toto isto tempore, teste *Lucá*, exposuerat, *nocte dieque non cessans monere unumquemque illorum?* Act. 20. 20, 27, 31. Convenerint ista Colossensibus, quos de facie nunquam viderat: *Audientes fidem vestram in Christo Jesu, & dilectionem quam habetis in Sanctos omnes*. Col. 1. 4. Convenerint Philemoni, adhuc item ignoto: *Audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jesu, & in omnes Sanctos*. v. 5. nequaquam autem Ephesiis, quos ad fidem ac pietatem omnem per tot annos erudierat. Cap. 3. v. 2. *Si tamen audistis dispensationem gratiae Dei, quae data est mihi in vobis*. Quomodo convenit hoc civibus Ephelinis, qui sexcenties praedicantem audierant Apostolum? qui de *εὐαγγελία* hac Evangelica tot annis fuerant edocti? Nec minus absonum illud: *prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi*. Cap. 3. v. 4. Quasi vero nunc demum ipsis opus esset lectione unius aut alterius Pericopes, aut, si velis, totius hujus Epistolae, ad assequendam D. Pauli mentem in mysterio Fidei, qui ab ipsius ore mysterium illud toties explicatum acceperant. Certe, ista quae protuli, ac si qua sint id genus alia, neutiquam hominis sunt, qui hos quibus inscripta est ista Epistola, per tres annos continuo, nocte ac die in Fide Christiana instituerit, quique Evangelium Christi explicarit illis coram; sed qui ignotus ad ignotos, ex mero rumore ac fama duntaxat, verba fecerit. Atque hoc ipsum subodorati videntur librarii quidam, qui jam olim ante tempora Basilii M. (quod in nostris ad prima verba hujus Epistolae Adnotatis monuimus) & Hieronymi^a, verba *ἐπίστου*, in Codicibus suis omisere; cum tamen haud habuerint quoddam in istorum locum reponerent; ideoque tentarit Basilii sermonem imperfectum & male hiantem glossa quadam jejuna supplere, & integrare, 1. 2. contra Eunomium. Nempe cum observatum Ipsi esset, nonnulla quae in hac Epistola occurrunt, haudquam convenire Ephesiis, voces *ἐπίστου* delendas censebant. Certe Epigraphen si excipias, nusquam per totam Epistolam sit istorum Ephesiorum mentio: nihil in ea est, quod ad Ipsos peculiari modo spectat; multa vero, quae ad Illos minime quadrant, quaeque clare satis evincunt, Eos ad quos jam scripsit, faciem ejus nunquam vidiisse.

74 Quidni igitur scripta fuerit ad *Laodicenses*? Hos enim, ac Colossenses, in suo per Phrygiam ac Galatiam itinere se non vidiisse dicit^b. Sane per eundem nuncium missa erat haec Epistola, per quem delata erat Epistola ad Colossenses, Tychicum scilicet; nec non eodem tempore. Epistolam illam ad Colossenses, ubi primum apud Ipsos lectitata fuisset, communicandam praecipit Apostolus Laodicenis, ac vicissim Epistolam *ἐν Λαοδικείας*, Colossensibus. Epistola vero haec *ἐν Λαοδικείας* non erat Epistola aliqua Laodicensium, seu a Laodicensibus ipsis scripta, quomodo explicat voces istas Interpret *Vulgatus*; (nullius enim usus vel auctoritatis apud Colossenses ipsa esse potuisset, si talis unquam scripta fuerit) multo minus ipsius Apostoli fuisse censenda est, Laodicea scripta: neque enim unquam adhuc apud Laodicenos egerat Apostolus, ut jam ostendimus. Id interim ex verbis Apostoli clare satis constat, fuisse Epistolam recens scriptam, missam per eundem, per quem Epistola ad Colossenses, tabellarium; Apostolum item ejus argumentum ac sensus probe cognitos habuisse, ac proinde ut cum Colossensibus ipsa communicaretur, praecipisse. Unde certe fidenter collegerim, a Paulo ipso fuisse conscriptam. Et quidem haud aliam eam fuisse, quam hanc ipsam de qua agimus, *Ephesiis* vulgo inscriptam, hinc adducor ut cre-

dam, quod Ecclesiis Laodiceae & Colossensi duas has Epistolas vicissim communicandas praecipiat. Id enim optimo jure ac ratione factum, si per Epistolam *ἐν Λαοδικείας*, eam quae ad Ephesios conscripta dicitur, intelligamus. Haec enim geminae plane sunt. Idem fere utriusque argumentum, iidem passim sensus, eadem *πίστως*. Certe in hoc uno ferme discrepant Epistola istae, quod in ea quae Ephesiis vulgo inscripta est, res de quibus agit, fusius tractet Apostolus, operosiusque ac magna verborum ambage profsequatur; interpretis hinc inde, quae ex argumento minus aliquando directe profluunt, reconditis quibusdam maximeque abstrusis dogmatibus: in altera quae ad Colossenses directa est, easdem res levi tangat brachio, ac breviter admodum proponat; insertis tamen quibusdam observatu summe dignis, quae in alia ista non occurrunt. Hinc quidem haud parum necessarium visum est, ut major Epistola illa, in qua res, quas in Epistola ad Coloss. contractius proposuerat Apostolus, plene ac dilucide explicatae essent, ad Colossenses mitteretur; Commentarii nimirum loco Ipsi futura, quaeque Eos ad altiores aliquanto adhuc in rebus Fidei sensus introduceret. Neque vero minus necessarium erat, ut etiam Epistola ad Colossenses scripta in Ecclesia Laodicensium legeretur. Praeterquam enim quod in ea nonnulla de Angelorum Cultu^c (qui apud Laodicenos invaluerat, teste Theodoro, Com. in locum, ac Concilio ipso Laodiceo, cujus Canone XXXV. damnatur cultus iste tanquam Idololatricus) occurrerent, quae Laodicensium omnino intererat nosse; certe Epistola haec, quam ad Laodicenos scriptam contendimus, generali duntaxat formula benedictionis conclusa erat: *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione*. Hanc autem, quae ex verborum tenore non illos magis, quam alios quoscunque Fideles respiciebat, Laodiceis parum acceptam fore cogitans forte Apostolus, jam post signatas Literas, salutationem omnino distinctiorem omnibusque modis gratam, Epistolae ad Colossenses, hoc ipso tempore conscriptae inseruit. *Salutate, inquit, fratres qui sunt Laodiceae, & Nympham, & quae in domo ejus est Ecclesiam*. Col. 4. 15. Quod quidem perinde erat, ac si ipsis ad Laodicenses scriptis Literis salutatio fuisset annexa: cum id curaverit Apostolus, ut Epistola Colossensium, mox ut lecta fuisset, ad Ipsos deferretur. *Cum lecta fuerit, inquit, apud vos Epistola haec, facite ut & in Laodicensium Ecclesia legatur: & eam, quae est in Λαοδικείας, (seu quae ex Laodicea mox ad vos deferretur) vos legatis*. Cap. 4. v. 16.

Equidem haud me latet, in hac ipsa sententia fuisse olim Marcionem Haeticum, ideoque redargui a Tertulliano, ceu qui huic Epistolae *titulum interpolare gessisset*^d. Sed omnino verisimile est Marcionem, qui Sinope aliquandiu agebat, haud procul a Laodicea, sive ex popularium suorum traditione, seu etiam auctoritate Exemplarium quorundam, hanc Epistolam tanquam ad Laodicenses scriptam citasse. Nempe verisimile est Archetypam Pauli *Laodicensium* nomen praetulisse. Verum delato statim a Tychico ad Ephesios suos Apographo, ipsius forte Pauli jussu illos, Epistolae hujus, ceu ad Ipsos aequae ac ad Laodicenses pertinentis, titulum haecenus quidem mutasse, ut in locum *Λαοδικείας* versu primo reposuerint *Επίστου*. quomodo se habebat in Exemplaribus jam ante Canonem conditum, ipsoque Codice quo usus est Ignatius^e. Certe utcunque res ista se habeat, nihil Haeticae pravitate est in hac sententia Marcionis. Dummodo enim constat de Epistolae auctore, perinde est ad Ephesios scripta fuerit, an ad Laodicenos. *Nihil de Titulis interest*, inquit Tertullianus^f, *cum ad omnes Apostolus scripserit, dum ad quosdam*. Pro opusculo hominis *θεομιθέου*, & Apostoli, habeatur necesse est. Et quidem ex omnibus quae Pauli nomen praeserunt Epistolis, vix alia est quae luculentiora prodat auctoritatis Apostolicae argumenta. In hac fusissime agit Auctor de *εὐαγγελία* & *χάριτι* & *δεδ* sibi concedita, de mysterio sibi noto *καὶ ἀποκάλυψιν*. 3. 2, 3. *Διόχρον* se ipsum vocat, secundum gratiam Dei ipsi communicatam, v. 7. Sibi *πάντων ἰσαρχιστοίρω* datum munus Evangelizandi in Gentibus, v. 8. Se declarare multifariam illam Dei sapientiam, quae per Ecclesiam devenit demum in notitiam Angelorum Dei. v. 10. *Legatione se*

^a Vide Hieron. Com. in Ephes. initio. ^b Col. 2. 1. ^c Coloss. 2. 18. ^d Lib. 5. adverl. Marcion. c. 17. ^e Ep. ad Ephes. 5. 12. ^f Lib. 5. contra Marcion. c. 17.

H